

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput LV. Continens Historiam Baptistae Mittentis Ex Carcere Discipulos
Ad Christum. Matth. 11. vers. 2. Luc. 7. vers. 18.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

CAPUT LV.

CONTINENS HISTORIAM BAPTISTÆ MITTENTIS EX CARCERE DISCIPULOS AD CHRISTUM.

MATTH. 11. vers. 2. LUC. 7. vers. 18.

RATIO ORDINIS



Quod hæc sit vera consequentia historiarum, ex iis, quæ jam annotata sunt, manifestum est. Marcus & Johannes de hac legatione nihil annotarunt. Arque ea propter ex ipsis nihil de certo ordine desumi potest. Cumque Matthæus cap. 11. vers. 2. eandem descri-

bat sine certa temporis notatione, apparet, descriptionem Matthæi ad ordinem Lucæ accommodandam esse, qui hanc historiam præcedenti ita firmiter annectit, ut divelli non possint. Adeoque dubium est nullum, in Harmonia huic Legationi hunc locum, post resuscitatum filium viduæ, sine ullo errore attribui posse.

HISTORIA DE LEGATIS A BAPTISTA EX CARCERE AD CHRISTUM MISSIS.

MATTH. 11. vers. 2.

- 2. Ὁ δὲ Ἰωάννης ἀκούσας ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ τὰ ἔργα τῶ Χριστοῦ, πέμψας δύο τῶ μαθητῶν αὐτοῦ.
- 3. Ἐἶπεν αὐτῶ· σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν.
- 4. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, ἔπεν αὐτοῖς· πορευθέντες ἀπαγγέilate Ἰωάννῃ ἃ ἀκούετε καὶ βλέπετε.
- 5. Τυφλοὶ ἀναβλέψουσιν, χωλοὶ περιπατήσιν, λεπροὶ καθαρῶνται, καὶ κωφοὶ ἀκούσιν, νεκροὶ ἐγείρονται, καὶ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται.
- 6. Καὶ μακάριός ἐστιν ὁ εἰς ἐμὴν μὴ σκανδαλισθῆν ἐν ἐμοί.

- 2. Johannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis.
- 3. Dixit illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?
- 4. Et respondens Jesus, ait illis: Euntes renunciate Joanni, quæ auditis & videtis:
- 5. Cæci vident, claudi ambulant leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.
- 6. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.

LUC. 7.

- 18. Καὶ ἀπήγγειλαν Ἰωάννῃ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ περὶ πάντων τούτων.
- 19. Καὶ προσκαλεσάμενος δύο τινὰς τῶ μαθητῶν αὐτοῦ ὁ Ἰωάννης, ἔπεμψε πρὸς τὸν Ἰησοῦν λέγων· σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἄλλον προσδοκῶμεν;
- 20. Παραγεγόμενοι δὲ πρὸς αὐτὸν οἱ ἄνδρες εἶπον Ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς ἀπέσταλκεν ἡμᾶς πρὸς σε, λέγων· σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἄλλον προσδοκῶμεν.
- 21. Ἐν αὐτῇ δὲ τῇ ᾠρᾷ ἐθεράπευσε πολλὰς ἀπὸ νόσων καὶ μαστιγῶν, καὶ πνευμάτων πονηρῶν, καὶ τυφλοῖς πολλοῖς ἐχαρίσατο τὸ βλέπειν.
- 22. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς ἔπεν αὐτοῖς· πορευθέντες ἀπαγγέilate Ἰωάννῃ· ἃ εἶδετε καὶ ἤκουσατε, ἐπὶ τυφλοῖς ἀναβλέψουσιν, χωλοὶ περιπατήσιν, λεπροὶ καθαρῶνται, κωφοὶ ἀκούσιν, νεκροὶ ἐγείρονται, πτωχοὶ εὐαγγελίζονται.
- 23. Καὶ μακάριός ἐστιν, ὁ εἰς ἐμὴν μὴ σκανδαλισθῆν ἐν ἐμοί.

- 18. Et nunciaverunt Johanni discipuli ejus de omnibus his.
- 19. Et convocavit duos de discipulis suis Johannes: & misit ad Jesum, dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?
- 20. Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt: Johannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es ille, qui venturus es, an alium expectamus?
- 21. In ipsa autem hora multos curavit a languoribus suis & plagis, & spiritibus malis: & cæcis multis donavit visum.
- 22. Et respondens Jesus dixit illis: Euntes renunciate Joanni, quæ vidistis & audistis: quod cæci vident, & claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.
- 23. Et beatus est, quicumque non fuerit scandalizatus in me.

HARMONIA HISTORIÆ LEGATIONIS BAPTISTÆ AD CHRISTUM, EX DESCRIPTIONIBUS, MATTH. 11. ET LUC. 7. IN UNUM CORPUS COAGMENTATA.

Κ Καὶ ἀπήγγειλαν Ἰωάννῃ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ περὶ πάντων τούτων. α Ὁ Ἰωάννης ἀκούσας ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ τὰ ἔργα τοῦ Χριστοῦ, c προσκαλεσάμενος δύο τινὰς τῶν μαθητῶν αὐτοῦ Ἰωάννης, ε πέμψας πρὸς τὸν Ἰησοῦν, c λέγων, ε σὺ

c Et nunciaverunt Johanni discipuli ipsius de his omnibus. a Johannes autem cum audisset in carcere facta Christi, c advocavit duos quosdam de discipulis suis, misitque ad Jesum. Et a misit duobus discipulis suis, ait illi, c dicens. f Tu es, qui venturus es, an

εἶ ὁ ἐρ-

εἰ ὁ ἐρχόμενος ἢ ἔστιν προσδοκώμενος, ἢ ἀπεχθόμενος
 δεῖ πρὸς αὐτὸν οἱ ἄνθρωποι, εἶπεν Ἰωάννης ὁ βαπτιστής ἀ-
 πειθεύων ἡμᾶς πρὸς σε, λέγων. Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ
 ἄλλον προσδοκώμενος; ἐν αὐτῇ ἡ τῆ ὥρᾳ ἐθεράπευσεν
 πολλὰς δόξων, καὶ ματιῶν, καὶ πνευματῶν πονη-
 ρῶν καὶ τυφλοῖς πολλοῖς ἐχαλεπτο το βλέπειν. Ἐξ ὧν
 κελθεῖς ὁ Ἰησῦς, εἶπεν αὐτοῖς, πορευθέντες ἀπαγγείλα-
 τε Ἰωάννη ἃ ἀκούει καὶ βλέπειτε, ὅτι ἡ τυφλοὶ ἀναβλέ-
 ποντες, καὶ χωλοὶ περιπατοῦσι, λεπροὶ καθαρῶνται, καὶ
 κωφοὶ ἀκούουσιν, νεκροὶ ἐγείρονται, καὶ πτωχοὶ εὐαγγελι-
 ζονται, καὶ μακάριός ἐστιν, ὅς ἐάν μὴ σκανδαλιθῆ ἑ ἐμοί.

Periocha hujus Historia.

Vera explicatio & utilissima doctrina hujus
 historiae variis & intempestivis quaestionibus,
 turbata & obscurata potius quam plana reddita
 fuit. Idque inde factum est, quod verba lega-
 tionis, à Baptista discipulis praescripta, ita accepta
 fuerunt, quasi ipse Baptista de aliquo fidei articulo
 non satis certus & confirmatus, voluerit animi
 sui dubitationes Christo per legatos exponere, &
 ita pro se ac propter se quaerere instructionem &
 confirmationem.

Quidam igitur illam Baptistae legationem ita
 interpretati sunt; ipsum quidem, dum liber & so-
 lutus magna autoritate doceret, & firmiter cre-
 didisse, & aliis magna asseveratione praedicando
 confirmasse, Jesum Nazarenum esse verum Mes-
 sias, à Deo per Prophetas promissum. Postea
 verò diuturnitate carceris fractum coepisse dubi-
 tare, cum quidem videret in sua captivitate sibi à
 Jesu corporaliter non praestari, quod de Messia Je-
 saias cap. 61. vers. 1. praedixerat, captivis scilicet li-
 berationem, & clausis apertionem. Haec sententia
 pulchrè posset accommodari ad doctrinam de vari-
 is & non exiguis infirmitatibus, quas maxime et-
 iam sancti, qualis Baptista fuit, in hac vita circum-
 ferunt, ita ut non semper absconditè lateant, sed
 cruce excitatè saepe manifestè se exerant. Praeci-
 pue verò quòd Baptista, suborta illa in animo suo
 dubitatione, non statim coepit meditari defectio-
 nem seu abnegationem, abjecta fide & confessio-
 ne: Sed & luctatus est cum illa dubitatione, & à
 Christo in verbo quaesivit instructionem & con-
 firmationem. Neque enim sancti in hac vita de-
 bent indulgere infirmitatibus, sed illis repugnare,
 & apud Christum medicum in verbo quaerere re-
 medium, ut contra illas infirmitates rectè infor-
 mentur, sustententur & confirmantur. Haec do-
 ctrina per se utilis & vera est. Sed sicut Chryso-
 stomus rectè observavit, ea quae Christus mox
 post discessum legatorum ad turbas, de Encomio
 personae & ministerii Baptistae, praedicavit, non
 admittunt illam explicationem, quasi fides Bapti-
 stae diuturnitate carceris fracta, in talem dubita-
 tionem prolapsa fuerit: maxime cum etiam post-
 eà Christus testimonium Baptistae aliquoties ho-
 norificè allegarit.

Aliorum igitur sententia fuit, sicut ex annota-
 tionibus Ambrosii, Hieronymi & Gregorii colligitur,
 non hanc sed aliam dubitationem fuisse
 in animo Baptistae, quae huic legationi occasionem
 dedit. Illam verò colligunt ex vocabulo ἐρχο-
 μένος. Quia enim Messias jam tunc in mundum vene-
 rat, juxta Prophetarum vaticinia: Baptistam i-

Harm. Tom. I.

alterum expectamus? Cum autem venissent ad eum viri,
 dixerunt: Johannes Baptista misit nos ad te, dicens:
 Tu es ille, qui venturus est, an alium expectamus? In e-
 dem autem hora multos sanavit à morbis, ac plagis,
 & spiritibus malis, & caecis multis donavit visum. Et
 respondens Jesus, dixit illis; Euntes renunciate Joanni:
 quae auditis & videtis; Quod caeci visum recipiunt, &
 claudi ambulant, leprosi mundantur, & surdi audiunt,
 mortui excitantur, & pauperes latum accipiunt Ewan-
 gelii nuncium. Et beatus est, quisquis non fuerit of-
 fensus super me.

gitur de hoc articulo, quem & credebat & praed-
 icaverat, non dubitasse. Non enim utitur vo-
 cabulo praeteriti, sed praesentis temporis: *Tu es ὁ ἐρ-
 χόμενος*: quod ita interpretantur: Baptista per
 mortem jam descensurus erat ad populum istum,
 ad quem scriptura veteris Testamenti dicit sanctos
 collectos fuisse. Putant autem incertum
 eum fuisse, & dubitasse, an Christus etiam ingres-
 surus viam omnis carnis, & per mortem venturus
 esset post Baptistam ad populum illum, sicut in
 hac vita post Baptistam venit in mundum, Iohan.
 1. vers. 30. Et Ambrosius inquit: Baptistam de
 hac quaestione non fide sed pietate dubitasse: An
 Messias, quia filius Dei, moriturus esset. Sicut &
 Petrus dicit, Matth. 16. vers. 22. Domine propi-
 tius esto tibi non fiat hoc. Et Hieronymus juxta
 hanc opinionem, quaestionem Baptistae ita for-
 mat: Manda mihi, quia ad inferna descensurus
 sum, utrum te etiam inferis debeam nunciare, an
 verò alium eò missurus sis: sicut Deus missis Pro-
 phetis mediata cum Patribus egit. Haec opinio
 gignit multas otiosas & prophanas quaestiones:
 & quia non habet fundamenta in historia, rectè
 refutatur à Chrysostomo. David enim in Psalmis,
 Isaias & Daniel prophetae, de passione & morte
 Christi manifestissimè vaticinati sunt. Quomo-
 do igitur Baptista plus esset quam propheta,
 Matth. 11. vers. 9. si hunc praecipuum articulum
 officii Messiae ignoraret? Et quia Matth. 16. vers.
 23. Petrus propter ignorancem hujus articuli
 valde duris verbis à Christo excipitur: nunquam
 tam celebre Encomium Baptistae, mox post hanc
 historiam, subsecutum fuisset, si sententia quaes-
 tionis ipsius eadem esset cum intentione Petri,
 Matth. 16. vers. 22. Imò Baptista vocans Chri-
 stum Agnum Dei, Ioh. 1. vers. 29. simul agnovit,
 credidit & praedicavit ex similitudine figurarum
 Leviticarum, oblationem & mactationem illius ag-
 ni. Quomodo verò ὁ ἐρχόμενος dicatur de Chri-
 sto, qui jam venerat & versabatur in officio Mes-
 siae, postea explicabimus.

Sicut autem in otiosis & prophanis quaestioni-
 bus fieri solet, quidam longius progressi hoc loco
 disputarunt, in inferno quosdam, qui absque fide
 ex hac vita discesserant, praedicatione Baptistae &
 adventu Christi conversos & salvatos esse. Et
 hanc esse sententiam quaestionis Baptistae, quod
 sit via conversionis ad salutem non tantum in hac
 vita, verum etiam apud inferos. Unde & aliqui,
 tanquam specialem casum huc accommodarunt
 dictum Petri in 1. Epistola cap. 3. v. 19. ex historia
 Noachi. Sed hoc erroneum figmentum Chryso-
 stomus

stomus rectè reprobatur, & addit hæc verba: Præfens vita gratiæ tempus est: post mortem verò iudicium est & pœna.

Hæc recitanda fuerunt eo consilio, ut lector animadvertat, quantum referat in explicatione scripturæ veras circumstantias historiarum rectè considerasse. Error enim in huiusmodi circumstantiis admissus, sæpè peregrina, absurda & falsa dogmata extruit.

Hilarius itaque, Augustinus & Chrysostomus ex circumstantiis rectè colligunt, Baptistam hanc legationem instituisse non sua causa, sed propter discipulos suos. Et si hoc modo inspiciatur hæc historia, doctrina ejus plana & utilis erit. Baptista enim cum adhuc liber & solutus in ministerio suo versaretur, disertè professus est, se non esse Messiam; Luca 3. v. 16. sed testimonium reddidit Iesu, ipsum esse Agnum Dei, ad quem omnes discipulos & auditores suos, tanquam sponsam ad verum Sponsam adducere studuit, Iohan. 1. v. 29. & 3. v. 28. Sed discipuli ipsius nimia admiratione & perverso zelo præceptoris fascinati, agrè volebant à Baptista ita divelli, ut Iesu Nazareno (offensi nimium vulgari simplicitate & humilitate ejus) ea, quæ ad Messiam personam & officium pertinent, vera fide tribuerent. Sciebat autem Baptista Messiam habiturum testimonium majus; firmitus & illustrius suo testimonio, miracula scilicet, Ioh. 5. v. 36. & 10. v. 38. Ita enim docuerat: Qui post me venit, baptizabit Spiritu sancto & igne, Matth. 3. v. 11. Marc. 1. v. 8. Luc. 3. v. 16. Sed ante captivitatem Baptistæ, Iesus pauca quædam & rara tantum miracula ediderat. Cum igitur in vinculis Baptista audiret, Iesum multis jam, variis ac stupendis miraculis, maximè autem resuscitatione juvenis in Naim ex mortuis, inclaruisse, ratus est opportunum jam tempus adesse, quo falsa persuasio animis discipulorum suorum eximi posset. Quia igitur intelligebat, se cursum suum jam consummasse, Ioh. 3. v. 30. & finem vitæ suæ non procul abesse, ne animos discipulorum post mortem relinqueret suspensos & perverso zelo fascinosos, instituit legationem ad Christum. Et sicut in vita unicum ipsius studium fuit, omnes adducere ad Christum: Ita moriturus jam unicum hoc agit, ut post mortem suam omnes Christum sectentur.

Quæ verò fuerint collocutiones discipulorum Baptistæ cum præceptore de hac quæstione, utiliter potest colligi ex verbis legationis, & ex responsione Christi. Baptista enim propter peculiare institutum vitæ omnibus erat admirabilis, & magna erat ipsius autoritas non tantum apud omnem populum, Luc. 3. v. 15. sed & Sadducæi & Pharisei ad ipsius Baptisimum venerant, Matth. 3. v. 7. imò penes quos Hierosolymis summa rerum erat, illustrem legationem ex sacerdotibus & Levitis ad ipsum miserant, Ioh. 1. v. 19. Herodes etiam in ipsis vinculis eum reverebatur, Marc. 6. v. 10. Iesus verò quotidiana vita à vulgari reliquorum hominum consuetudine nihil discedebat, Matth. 11. v. 19. & sectatores habebat tantum ignobile vulgus, & miseram turbam pauperum & calamitosorum hominum: reliquis vero, qui alicujus nominis & autoritatis erant, partim contemptui, partim odio erat. Hæc collatio & species

perturbabat discipulos Baptistæ, ut non possent juxta præceptoris sui doctrinam Iesum pro Messia agnoscere, sed existimabant ea, quæ ad officium Messiam pertinent, Baptistæ potius quam Iesu Nazareno convenire, & ipsi sine impietate tribui posse. Cum verò Baptista longo jam tempore in vinculis detineretur, & Iesus interea multis verè divinis miraculis vocationem & missionem suam confirmaret, cum quidem Johannes nullum miraculum fecisset, Ioh. 10. vers. 41. cœperunt discipuli agnoscere Baptistam non esse Messiam, & de Iesu cœperunt honorificentius sentire: nondum tamen certo poterant statuerè ipsum esse verum Messiam. Dubitationes igitur suas & argumenta in utramque partem detulerunt ad præceptorem suum in carcerem, idque sicut Lucas annotavit, hac occasione factum fuit. Reliqua miracula Christi moverunt quidem discipulos Baptistæ, sed non permoverunt. Cum verò partim vidissent, partim audissent, ipsum filium viduæ à mortuis resuscitasse, non amplius cunctati & hoc & cetera miracula Christi nunciaverunt Baptistæ in carcere. Quia verò verba legationis hæc sunt: *Tu es, qui venturus es, ananiam expectamus?* Rectè inde colligitur, quod habuerint & prodixerint argumenta in utramque partem, quorum quædam probare viderentur, Iesum esse Messiam, quædam verò in alteram partem inclinarent, ipsum non esse verum Messiam. Et ad prius quidem genus retulerunt & cetera miracula Iesu, præcipuè verò resuscitationem mortui recens factam. Contraria verò argumenta quæ fuerint, ex responsione Christi colligitur. Indicarunt enim ipsa miracula Christi, quantumvis miranda & stupenda, non respondere & satisfacere magnificis descriptionibus regni Messiam, quæ in Prophetis extant. Claudos enim, cæcos, leprosos & similes circa se habebat, & in illis miracula edebat: præterea debebat de gratia Dei & remissione peccatorum, & ejus doctrinæ auditores habebat pauperes tantum. Ipsi verò imaginabantur sibi talia Messiam admiranda opera, quæ in dignitatibus, dominationibus, opibus & reliquis hujus seculi felicitatibus & magnificentiis ita conspicerentur, ut certatim ab omnibus & quidem præstantissimis in hoc mundo Messias reciperetur, ut qui sectatores suos felicissimos in hoc seculo redditurus esset. Corporaliter enim, sicut persuasionem illam à Phariseis acceperant, descriptiones regni Messiam intelligebant. Quia igitur miraculis Christi non parum movebantur: & tamen illa non erant huiusmodi, qualia ipsi expectabant, suspensi hærent, & IESUS ille sit verus Messias, an vero post ipsum demum venturus sit, qui talia opera, qualia ipsi imaginabantur, facturus esset: & Johannes sua admiranda vita sit præcursor Iesu, Iesus verò suis miraculis præparet viam vero Messiam, qui alia magnificentiora opera editurus sit.

Has fuisse cogitationes discipulorum Baptistæ ex circumstantiis colligitur, quas sine dubio præceptor exposerunt. Iohannes autem volebat discipulos suos incerta, dubia & fluctuante opinione suspensos tenere: & tamen ipse non volebat quæstionem illam decidere, præterea, quia videbat se hæc testimonio suo parum profe-

profecisse apud discipulos. Censet igitur ab ipso Christo petendam esse explicationem, ut qui jam miraculis clarus, non voce tantum sed ipso facto posset hanc dubitationem solvere: & meminerat vocis paternæ: *Hunc audite*. Advocans igitur duos ex præcipuis discipulis suis (ita enim intelligendum puto, quod Lucas dicit *δὸς τῶν δύο*) illis inunxit legationem ad Christum, & quæstionem planè ita formavit, qualem esse discipulorum hæsitationem ex collocutione intellexerat: *Tunc es ille, qui venturus est, an alterum debemus expectare?*

Hæc de circumstantiis accuratius aliquanto annotanda duxi. Jucundum enim est posse colligere, quæ fuerint collocutiones discipulorum cum Baptista, quando in carcere ipsum audierunt, & quomodo ex illa collocutione formata sit quæstio sive instructio (sicut vulgus loquitur) legationis, quæ hoc loco describitur.

Ex illa explicatione circumstantiarum manifeste jam colligi potest, quæ sit doctrina prima partis hujus historiae. Primò enim exemplum discipulorum Baptista ostendit: Admirationem vitæ, sanctitatis & donorum in sanctis sæpè ita fascinare homines, ut in sanctis hæreant, & quæ Christi sunt, illis tribuere non dubitent. Ostendit etiam, homines non tam ad doctrinam, quam ad vitam sanctorum, præsertim quando peculiare aliquid & extraordinarium habet, respicere: imò sæpè ex vita sanctorum aliquid statuere, quod doctrinæ ipsorum planè sit contrarium. Quod hoc loco discipulis Baptista accidit. Monstrat etiam quid sit & faciat præposterus zelus discipulorum erga præceptores, quando non ad Christum dirigitur, & ipsius voci subjicitur. Præterea docet hoc exemplum, multos etiam inter illos, qui ab Evangelio non sunt alieni, quærere in Christo & amare non vera spiritualia & æterna bona, sed spectare externam felicitatem. Quando vero illa non sequitur, tunc quidam planè deficient, quidam dubitare incipiunt, plerique verò idè minus curant Evangelium & pietatem. Et hæc est pœna illa scandali, qua impeditur major pars, quo minus Christum sectetur & amplectatur. Hæc ex circumstantiis manifesta sunt, & accommodatio plana est.

Secundò Baptista exemplum docet, fidelem Doctorem in Ecclesia non debere discipulos, etiam volentes, sibi astringere. Hæc enim est nota luporum, qui perverba loquuntur, ut abducant discipulos post se, sicut Paulus inquit Actor. 20. v. 30. Sed quia unus est Magister, Matth. 23. v. 8. & 10. ad ipsius vocem audiendam præparandi & mittendi sunt discipuli. Fidelis enim paranymphus Sponsam, etiamsi vellet sibi adhærere, non tamen debet apud se derinere, sed Sponso eam conciliare & adducere. Ostendit etiam, quod Baptista summo studio in omnes occasiones fuit intentus, ut discipulos suos placidè & per gradus, ab errore ad veram, firmam & solidam agnitionem Christi adducat.

Tertiò forma legationis docet: In arduis quæstionibus de religione, non sumendum esse iudicium ex hominum iudiciis: sed consulendum esse os Domini in illo, de quo pater clamavit: *Hunc audite*: quia verba sua posuit in os ipsius, Deuter.

Harm. Tom. I.

28. vers. 18. Ostendit etiam fidem non debere esse ambiguam opinionem, inclinantem nunc in hanc, nunc in illam partem: sed firmam, certam & stabilem cogitationem & persuasionem. Ut: si tu es Christus, non expectandus erit alius: si verò alius expectandus est, tu non eris. Ostendit etiam, in fideustificante non sufficere generalem assensionem, si in specie vel dubites, vel erres. Ut: Discipuli Baptista in genere credunt promissionibus de Messia. Quis verò sit Messias, quid sit, & quod sit ejus officium, non rectè nec certò tenent. Apparet etiam hinc, non esse veram fidem, quæ Christo quædam tantum, ad officium ejus pertinentia, tribuit, reliqua verò vel in dubio relinquit, vel ad alios transferat, aut peregrina ipsi assignat. Hæc enim taxantur in discipulis Baptista. Observanda autem simul est ratio, quæ in hoc exemplo præscribitur: quomodo sublevandæ, curandæ & corrigendæ sint tales infirmitates & hæsitaciones in fide. Hæc pluribus possunt illustrari: nobis sufficit capita & fontes ex circumstantiis monstrasse.

Hæc est prima pars hujus historiae: descriptio scilicet legationis Baptista. Superest ut quædam dicantur, quare & quo sensu Messias appelletur *ὁ ἐρχόμενος* non tunc tantum, quando venturus expectabatur: verum etiam cum jam venisset, & in ministerio suo versaretur. Et verbum quidem *ἐρχομαι* in præsentis, simul habet & præsentis & futuri significationem. Diligentius tamen inquirendum videtur, unde sumpta sit Antonomastica illa appellatio, quod *ὁ ἐρχόμενος* sit quasi periphrasis Messia, ut in hac historia, & Johan. 3. vers. 31. *ὁ ἀναστὴν ἐρχόμενος*, & *ὁ ἐν τῷ ὕδατι ἐρχόμενος*. Item Joh. 11. vers. 27. Martha inquit: *Tu es Christus filius Dei, ὁ ἐρχόμενος* in mundum: Et significationem esse futuri certum est. Græci enim interpretes hoc vocabulo describunt annos venturos, Genes. 41. vers. 35. generationem venturam, Psal. 21. v. 32. & 70. v. 18. tempus venturum Ecclesiast. 2. v. 16. Respicit ergò appellatio *ὁ ἐρχόμενος* ad vaticinia Prophetarum, quibus prædictus & promissus erat Messias venturus in carnem, sive in hunc mundum. Utroque enim modo Johannes loquitur, Joh. 11. v. 27. & 2. Joh. v. 7. Et hoc sensu appellatio accommodatur ad Messiam, quando adhuc venturus expectabatur. *ὁ ἐρχόμενος*, qui prædictus est, quod sit venturus. Accommodatur etiam ad Messiam jam præsentem & exhibitum: *ὁ ἐρχόμενος*, qui prædictus fuit, quod debebat venire. Judico autem hanc Antonomastiam allusionem esse ad locum Exod. 3. vers. 14. ubi Messias propter promissiones ipse tribuit sibi appellationem *יהוה* Ero misit me ad vos. Licet enim Græci simpliciter reddiderint, *ὁ ὤν*: Johannes tamen in Apocalypsi, cap. 1. vers. 8. ostendit comprehendi tria tempora, *ὁ ὤν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος*. Et si ita accipiat, valde pulchra est *Αντονομαστια* sumpta ex illo loco Exodi. Citantur autem loci in novo testamento, Matth. 21. vers. 9. & Hebræor. 10. vers. 37. in quibus Græci interpretes reddiderunt *ὁ ἐρχόμενος* de Messia Psalm. 111. vers. 26. Habac. 2. vers. 3. ubi respondet Hebraico *בא* seu *בא* quod significat venire ad locum. Et Joh. 11. v. 27. phrasis expletur, venturus in mundum. 2. Johan. v. 7. *τὸν ἐρχόμενον* in carne. Observandum autem

autem est, quod Hebræis verbum illud non simpliciter tantum adventum significat, sed administrationem publicæ functionis seu vocationis. Sicut fermè Latini dicunt, inire Magistratum. Usitatissima enim est Phrasis: ingredi & egredi. Item Deut. 23. vers. 3. Ammonites non ingrediatur in Ecclesiam Domini. Ita 1. Joh. 5. vers. 6. Hic est, qui venit per aquam & sanguinem. ὁ ἐρχόμενος itaque adventum Messia ita significat, ut simul complectatur etiam officium ejus, & administrationem regni. Baptista igitur vocabulo ὁ ἐρχόμενος simul quærit & de persona & de officio Messia: & ideo etiam Christus de officio potissimum respondet. Hæc Grammatica observatio aliquid lucis afferre potest. Et Christus mox loquens de Baptista, phrasin illam resolvit, μέλλον ἐρχεσθαι: qui venturus est.

Altera pars historiæ continet responsonem Christi. Non autem simpliciter respondet: Ego sum Christus: Objecissent enim cum Judæis: Tu de teipso testimonium dicitis, Johan. 8. v. 13. Quia igitur discipuli simplici testimonio, ne Baptista quidem, cujus tamen auctoritati multum tribuebant, volebant acquiescere, & Johannes legationem ita instituerat, ut Jesus non verbis tantum asseveraret, sed factis & operibus demonstraret se esse Messiam: talem enim ἀποδοῦναι discipuli ejus quærebant: Ideo responsi loco miracula edit, & concionatur, & hæc jubet Baptista renuntiari. Ex Luca verò ordo historiæ pulchrè potest colligi. Cum enim legati mandata sua exposuissent, Christus non fuit solus in abdito aliquo loco, sed habuit circa se turbas. Mox enim digressis nunciis, cœpit loqui ad turbas. Acta igitur hæc fuerunt in magna frequentia populi: & sine dubio omnes in magnam expectationem erecti fuerunt, cum Baptista, cujus magna adhuc apud omnes auctoritas erat, missis legatis, & quidem ex carcere, cum Jesu, qui jam miraculis celebris erat, institueret συζητησθαι de questione omnium maxima, quæ tunc temporis in omnium ore erat, An scilicet Messias jam adesset: an verò in futurum adhuc expectandus esset. Et quis esset Messias, quæ opera, quod officium ipsius. Jesus verò non statim legatis respondet: *Ite & renunciate*, &c. sed, quasi aliud agens, *in illa hora multos sanavit à morbis & flagellis*. *Μακροίς* autem non sunt vulgares morbi, sed sæviores & inusitati, qui quasi clamitant de ira & pœna divina. Multis cæcis *in illa hora* donavit visum. Multos etiam à malis spiritibus obsessos liberavit, & doctrinam Evangelii *in illa hora* pauperibus exposuit. Hoc enim etiam illa hora factum esse colligitur ex responso Christi, qui jubet renunciare non tantum quæ viderant, sed & quæ audierant, quod scilicet *pauperes evangelizarentur*. Sine dubio autem aspectu mirum visum fuit, quod ad exposita mandata Baptista nihil respondere, sed aliud agere videretur. Et non interpositum fuit breve aliquod momentum temporis. Lucas enim de multis sanationibus illa hora factis dicit: & quia jubet renuntiare Joanni, quæ audissent, ideo dubium non est totam Evangelii doctrinam eum ita exposuisse, ut Joanni eam potuerint renuntiare. Iustum igitur tempus huic interstitio attribuendum est. Cum verò & docendo & faciendo, quantum ad instructio-

nem discipulorum Baptista satis erat, jam perfecisset, tandem illos dimittit cum hoc responso: *Ite & renunciate Joanni, quæ vidistis & audistis*. Lucas enim utitur significatione præteriti, ut ostendat debere legatos in renunciatione comprehendere, quæ miracula & nunc & antea ipsi viderant, & ab aliis audierant. Matthæus autem utitur præsentis verbo, *quæ auditis & videtis*. Ut scilicet Joanni renuntiant non tantum miracula, quæ in oculos incurrunt: sed præcipuè doctrinam, quam audierant, quæ finem, significationem & usum miraculorum explicet, & verum officium Messia propius ostendat. Ideo primo loco ponit: *quæ auditis*: postea *quæ videtis*. Quin & hoc modo non inconcinne ordinari potest historia: Ut, quæ Matthæus in præsentis posuit: *Ite & renunciate, quæ auditis & videtis*. Christus mox in initio, exposita sua legatione, discipulis dixerit, quo in illis attentionem excitaret, ad diligentius observanda & firmius memoriæ commendanda ea, quæ ipse interim & dicturus & facturus esset; Postea verò cum Baptista discipuli jam sufficienter informati viderentur, denuò hoc ad ipsos repetit, dicens: Jam ergo abite, & *quæ hæcenus vidistis & audistis, illa præceptori vestro renunciate*.

Illud verò præcipuè dignum est observatione, quod responsonem de miraculis suis, quæ viderant, & de doctrina, quam audierant, jubet Joanni renuntiare, non suis, sed ipsis Prophetarum verbis, ex variis locis collectis. Verba enim de cæcis, claudis & surdis extant Jesa. 35. v. 5. de pauperibus, qui evangelizantur, extant Jesa. 61. v. 1. de scandalo seu offensione, Psal. 118. v. 22. & Jesa. 8. v. 14. de mortuorum resurrectione loquuntur Prophetæ, ubi describunt adventum & officium Messia & simul complectuntur universalem resurrectionem, Jesa. 26. v. 19. Osea 13. v. 14. Sanatio reliquorum morborum & mundatio leproforum alludit ad locum Jesa. 53. v. 4. infirmitates nostras ipse portavit, & livore ejus medicatum est nobis. Ita enim Matthæus locum illum accommodat c. 8. v. 17. & de mundatione ab inquinamento loquitur Ezech. 36. v. 25. & Zach. 13. v. 1. Hos locos in scriptis Prophetarum Christus ideo in responsonem sua paucis verbis notavit, ut ita Joanni præberet occasionem & materiam discipulos suos plenius erudiendi, ex integris locorum Prophetarum expositionibus. Illa enim consuetudo in N. Testamento observatur, quod quando pauca quædam verba ex Prophetis citantur, commonefactio est, totum locum esse inspiciendum & considerandum. Ut, cum Christus in cruce recitat principium Psal. 22. Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? &c. monet totum Psalmum ad passionem Christi referendum esse. Et non est dubium, Johannem post reditum legatorum, Biblia in manus sumfisse, & integros illos locos Prophetarum, qui paucis verbis à Christo notati erant, discipulis suis proposuisse, & ita explicasse, ut inde ostenderet & confirmaret, Jesum esse Messiam. Tota autem illa explicatio hoc syllogismo comprehendi potest: Quicumque ita docet & talia opera facit, sicuti hi loci Prophetarum describunt & vaticinantur, is sine dubio est verus Messias. Sed ipsi vidistis & audistis Jesum Nazarenum planè illa ipsa opera facere, & talem doctrinam

doctrinam annuntiare. Ergo non debetis alium expectare, sed indubitata & certa fide hunc agnoscere & accipere pro Messia. Et quam dulcia fuerint colloquia Baptistæ cum discipulis suis in carcere, post reditum legatorum, ex his circumstantiis utiliter potest colligi.

Si hoc modo consideretur altera pars hujus historiae de responso Christi, circumstantiæ monstrabunt multiplicem doctrinam. Primum enim forma responsionis Christi ostendit, quanta sit & esse debeat auctoritas scripturæ. Johannes, qui maximus est inter natos mulierum, & Christus major ipso, utpote filius Dei, de quæstione omnium gravissima per legatos inter se conferunt. Et Christus quidem est filius Dei, de quo Pater clamavit: Hunc audite. In hac tamen quæstione non vult ipse suis verbis sententiam pronuntiare, sed scripturam Propheticam facit & constituit vocem Judicis, & scripturæ verbis responsonem suam format. Quia igitur Johannes discipulos mittit ad Christum: Christus vero ad scripturas. Ergo in scriptura quærendum est, quid Christus, quem pater vult audiri, nobis respondeat in controverſis religionis. Sicut ipse dicit: Scrutamini scripturas, in illis vitam æternam habetis, & hæc sunt, quæ testimonium perhibent de me, Joh. 5. v. 39. Nec verò ideo ministerium, ut otiosum & inutile, contemnendum est, quia Christus unicus est Magister, Matt. 23. v. 8. Christus enim, propositis Prophetarum dictis, legatos rursus mittit ad Johannem, ut ejus opera in investiganda vera explicatione sententiarum scripturæ utantur. Et Johannes, qui major est Propheta, non habet tale ministerium, ut suo arbitratu vel affirmet, vel neget aliquid in negotiis religionis: sed Christus, Princeps pastorum & Episcopus doctorum, præbet ipsi certam materiam, dicta scilicet scripturæ, & ponit certum scopum & Canonem, ad quem illa sunt dirigenda, ad personam scilicet & officium Messia. Johannes verò ministerium est, sententias Prophetarum juxta monstratum illum scopum & Canonem explicare, & ad doctrinam accommodare: sicut hujus historiae circumstantiæ ostendunt. Hac doctrina latius potest explicari. Nos vero tantum digitum, ut dicitur, ad fontem intendimus, monstratis fundamentis ex historiae circumstantiis.

Secundo præbet hæc historia utilissimam doctrinam, quod sit officium Messia, quæ sint opera seu beneficia ipsius, propter quæ a patre missus, & a nobis quærendus & amplectendus est, quæque soli Messia tribuenda sunt. Supra enim ostendimus, discipulos Johannis & de persona & de officio Messia hallucinatos fuisse. Diximus etiam qualia opera ipsi suis cogitationibus Messia affinxerint, & in ipso quærere voluerint. Christus igitur in responſione simul & falsam persuasionem refutat, & ostendit, quæ sint vera sua beneficia. Ponit autem hoc fundamentum. Non ex rationis cogitationibus, aut hujus seculi studiis, sed ex doctrina divinitus in scriptura patefacta, de hac quæstione judicandum esse. Quia verò vaticinia Prophetarum, in quibus regnum Messia describitur, de externa & corporali felicitate à discipulis Joannis intelligebantur: Christus Pharisaicam illam opinionem ex ipsis Prophetis refutat, qui Populum sive (ut vulgi vocabulo utar) beneficiarios Messia descri-

Harm. Tom. I.

bunt, non divites, non potentes, non gloria hujus seculi præstantes, sed claudos, surdos, cæcos, leproſos, pauperes: quibus à Messia conferatur, non gloria regnorum hujus mundi, sed etiam cum corporalibus miraculis ornantur, manent tamen pauperes, ita ut hoc ipsum in Messia multos offendat. Hæc sunt Prophetarum verba, & illo ipso spectaculo, cum illa hora, qua eum acceſſerant, turbam calamitosorum hominum circa se haberet, & illis beneficia sua conferret, ita ut nihilominus pauperes in hoc seculo manerent, illustrem opposuit refutationem magnificis imaginationibus discipulorum Baptistæ de regno Messia. Et non potest simplicior pictura excogitari, quam hæc, quod Johannis discipuli adveniunt, afferentes gloriosas & magnificas cogitationes de regno & beneficiis Messia. Propheta verò suis vaticiniis monstrat Christum, circumdatum satellitiis cæcorum, claudorum, surdorum, leproſorum & reliqua misera plebecula, quibus annuntiat quidem Evangelium, confert illis sua beneficia, sed nihilominus manent pauperes in hoc seculo. Et ibi personat hæc vox: *Beatus, qui non offensus fuerit in me.* Non igitur externa & corporalia sunt beneficia Messia, qualia discipuli Baptistæ pro ratione hujus seculi cogitabant, nec talia quærenda sunt in Evangelio.

Objiciat quis: Sed tamen restituere visum, auditum, sanitatem, &c. sunt corporalia bona? Respondeo. Multa mitigationes, liberationes & donationes, etiam in externis & corporalibus, credentibus conferuntur à Christo, sed hæc non sunt principalia bona. Manent enim nihilominus *pauperes evangelizantur.* Miracula verò illa externa tunc temporis fuerunt testimonium & commonefactio de spiritualibus beneficiis Messia: sicut in sua responſione Christus, post enumerationem miraculorum corporalium, ponit annuntiationem Evangelii & beatitudinem. Illa enim est significatio, hic finis miraculorum Christi: sicut alibi explicatur. Et hæc est negativa sententia de operibus & beneficiis Christi.

Quæ autem sit affirmativa sententia, ex responſione Christi rectè colligendum est. Neque enim omnes cæci, claudi, surdi, &c. sancti sunt: neque nunc omnes tales, si credant in Christum, corporaliter sanantur. Et illa, quæ tunc in miraculis facta fuerant, non sunt generalia, perpetua & principalia Messia beneficia. Enumerat autem morbos & mortem, hoc est, ea, quæ per peccatum ingressa sunt in mundum. Nominat etiam Evangelium, gratiæ Dei & beatitudinem, quæ per peccata amissa sunt. Vera igitur & Messia propria beneficia sunt: liberare credentes ab illis malis, quæ per peccatum ingressa sunt in hunc mundum: & restituere ea, quæ per peccatum amissa sunt. Illa verò per partes hoc loco in miraculis & responſione Christi ex Prophetarum dictis enumerantur. Ut morbi seu infirmitates, quæ Jesaiæ 53. v. 5. sunt fructus & commonefactiones peccati. Numerantur autem quidam morbi, qui sunt privationes, ut cæcitas, surditas, claudicatio. Lepra verò est positiva infectio & corruptio. Significatur ergo in peccato & earentia rectitudinis, & vitiosus habitus. Numerantur deinde flagella, quæ sunt expressiores commonefactiones iræ & pœnarum divinarum. Fit quoque

Zz 4

quoque

quoque mentio malorum spirituum & mortis. Messia ergo officium est, liberare à peccato, ab ira Dei, à Diabolo, à morte, &c. Hæc enim expressè hoc loco nominantur. Restituit verò & donat ea, de quibus Evangelium concionatur: quorum Catalogus prolixè describitur, Jesa. 61. v. 1. & seqq. Et quia quædam beneficia Messia credentibus in hac vita conferuntur: quædam verò in futuro sperantur: ideo Christus hoc loco addit: *Beatus est, qui non fuerit offensus in me.*

Porro ostendit etiam Christus in hac responsione, quæ sit externa species regni sui in hoc mundo, quando hæc beneficia offert, confert & distribuit. Dicit enim, *pauperes evangelizantur, & beatus est.* Et verbum *εὐαγγελίζονται* complectitur media seu involucria, verbum & Sacramenta, per quæ nobiscum agit in Ecclesia. Et nomen *πῦρ* (pauper) describit externam sortem & conditionem credentium in hoc mundo. Significat enim & humiliationem spiritus interiorum, & afflictiones externas. Et ita ratione Evangelisationis, & ratione pauperum, externa species regni Christi talis est, ut merito beatus dicendus sit, qui non offenditur. Ne verò existimetur, nihil præter miserias & scandala in regno Messia expectandum esse, in fine conjungit hæc duo: *Pauperes evangelizantur, & beatus est.* In hac enim vita annuntiat Evangelium, id est, credentibus inter varias miserias confertur gratia Dei, remissio peccatorum, &c. in futura verò vita sine omnibus miseriis mittentur in possessionem ejus beatitudinis, quam nunc fide & spe tenemus, Rom. 8. v. 24. Meminit autem pauperum & miserorum

1. ne propter calamitates & miserias putemus nos indignos & exclusos esse à regno cælorum. 2. Ne principaliter quæramus externam felicitatem in Evangelio: nec deficiamus si crux subsecuta fuerit. Luc. 8. v. 13. 3. Ut moneantur illi, qui fortuna hujus seculi præstant, miserias suas agnoscere, si velint & ipsi ad beatitudinem regni Messia pervenire.

In fine autem meminit scandali, propter discipulos Baptista, qui & ipsi offendebantur, & præterebant præcipuos in populo Dei offendi illa specie. Christus igitur opponit: hoc ipsum à Prophetis prædictum esse, Messiam fore petram scandali & lapidem offensionis. Multa autem docet hæc postrema sententia. 1. varia scilicet. objici scandala, quibus impediuntur & retrahantur illi, qui beatitudinem in Messia propositam quærere volunt. Non enim plana & expedita via est, sed multis scandalis circumseptæ, quæ non tantum exterius obijciuntur: sed Christus inquit: *Beatus est, qui in me non fuerit offensus.* In ipso Christo igitur, hoc est, in modo administrationis regni sui, quem in hac vita servat, caro nostra invenit materiam scandali, & per talem viam ad regnum cælorum tendendum est. 2. Qui verò ita offenditur ut vel retrocedat vel deficiat, & fiat vel persecutor vel contemptor, non assequitur beatitudinem illam, quæ in solo regno Messia confertur. 3. Sed qui per omnia illa obitacula pergit, & in mediis hisce scandalis amplectitur & retinet Christum, is licet in hoc mundo sit pauper, ita ut ipse etiam sæpius hisce scandalis turbetur: verè tamen coram Deo beatus est in hac vita & in futura habebit vitam æternam.

CAPUT LVI.

CONTINENS CONCIONEM CHRISTI AD TURBAS, CUM DISCIPULI JOHANNIS BAPTISTÆ JAM ABIISSENT, MATTH. 11. vers. 7. LUC. 7. vers. 24.

RATIO ORDINIS.

DE consecutione hujus historiae nulla potest esse dubitatio. Consentiant enim in eo Matthæus & Lucas, quod Dominus ista ad turbas dixerit, mox ut abierant discipuli Johannis. Quia autem Matthæus plura recenset, quæ tunc dicta sint, quam Lucas, quæritur, an Dominus omnia illa dixerit mox, postquam discipuli Baptista discessissent, an alio tempore: præcipue cum Lucas similia commemoret longè post, quando scilicet Dominus ordinavit & emisit septuaginta discipulos, cap. 10. vers. 13. Ibi enim subjungit. Dominum vè dixisse Chorazim, Bethsaida & Capernaumo, quemadmodum hic Matthæus post legationem Baptista. Item, cum septuaginta illi rediissent, ait vers. 21. Dominum gavisum, eodem planè modo quo hic post abitum discipulorum Baptista. Ad hanc questionem respondemus: Certum est: Lucam à fine capitis 9. usque ad 18. multa recensere, quæ in speciem videntur eadem esse cum iis, quæ sparsim Matthæus usque ad 19. Marcus autem usque ad 10. caput commemorant: cum tamen & tempus & locus convincant esse diversa. Sic & ista, quæ

Matthæus hic describit, alio tempore & loco facta sunt, ante finem scilicet secundi anni in Galilæa: quæ verò Lucas recenset, ea dicta sunt sub finem tertii anni, cum Dominus completis diebus assumptionis suæ pergeret Hierosolymam.

Præterea Matthæus ista cum superioribus connectit per certam notationem ordinis, ut mox secuta esse appareat. Ait enim *τότε ἤρξατο ὁ δειλῆναι, τὸν καπὶ ἐπιπροβαρῆναι.* Et quidem particulam *τότε*, non semper consecutionem historiarum significare, concessum est superius in 5. cap. prolegomenon. Hic tamen apparet eam *εἰρημὸν ἀπολαύσας* indicare, præsertim quia additur verbum *καπὶ*: quod aliquando significat rem, quæ tum cæpit, cum dicitur, non autem notat insecutum aliud simile, nec intelligitur rem postea sæpius esse repetitam. Ut Petrus, Matth. 26. v. 75. cæpit se detestari & jurare, Non novi hominem: ante scilicet non fuerat se execratus, sed tunc primum cæpit, neque tamen post idem repetivisse intelligitur. Hæc igitur verbi *ἤρξατο* significatio nondum certum historiae ordinem nobis monstraret. Sed deinde *ἤρξατο* significat etiam rem sic incipi, ut intelligatur postea sæpius repetita: Sic, Matth. 16. v. 21. Dominus cæpit dicere